

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Natiuitas c cum uariis

Michi enim impossibile est generationis scire secretum; mens deficit, uox silet, non mea tantum sed et angelorum, supra potestates et supra cherubin et supra seraphin et supra omnem sensum est quia scriptum est: Pax Christi supra omnem sensum. Et si pax Christi super omnem sensum est, quomodo non est supra omnem sensum tanta generatio? Tu ergo ori manum pone, scrutari non licet superna misteria. Licet scire quod natus sit; non licet discutere quomodo natus sit. Hoc enim querere metus est. Ineffabilis enim est illa generatio, unde Ysais ait: Generationem eius quis enarrabit? Hoc humanum sensum et intelligenciam mundi excedit. Hoc non capit humane intelligencie ratio, sed prudencie fidelis professio est.

Ambrosius contra hereticos.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

et *om.* P V¹ V² L¹ L²; supra *om.* C; et si pax Christi super omnem sensum *om.* B P V¹ V² L¹ L²; natus] non (*cor. intra*) M; hoc] hec P V¹ V² L¹ L²